

structa virtutum acie, semper ad pugnam parati sumus, si in terra hostili, inter tot infidias salui esse cupimus: Sed Panetio suus quoque discipulus iungendus est.

POSSIDONIUS.

VNum eruditorum diem, plus placeat re, quam imperitorum longissimam ætatem, inquit Possidonius: Præclare, neque enim tempus metiendum est, quod fœnerantes solent, sed virtus & gestarum rerum gloria, quibus nihil est commune cum tempore: Non illius finibus artantur, sed propriis quos nihil laxat, nihil angustat, in quantalibet breuitate multum parent. Hinc præclaros iuuenes videmus, & obscuros senes, quorum nomina si ad alienigenas perferantur, subit audientium animos opinio diuersa. Fama enim crebrior, & rerum multitudo apud vulgus senectutis argumenta sunt. Vidi ego quorundam tam gloriosam adolescentiam, ut ad eos visendos de longinquo veniretur, dum interim senes ac decrepiti vicinis etiam incogniti laterent. Audiui affirmantes, nunquam se, nisi oculis suis propriis fuissent fidem ætatis habituros: quosdam enim sibi defunctum
alios